



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris Sermones In Dominicis & Festa per annum

Bernardus <Claraevallensis>

IV. De quærendo Deo, & triplici vinculo quo cohæremus Deo. al. De tripl.
cohærent. vincul.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

bit te, aut confitebitur tibi. Cæterum vivens vivens ipse confitebitur tibi. Qui videlicet non tantum carne, sed & spiritu vivit, ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie hac me duplici vita tuo munere vivere confido. Sequitur.

Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Non revelatur servo veritas quia servus nescit quid faciat dominus eius ^a. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatem suam, quem audit dicentem: *Venerunt amen non quod ego volo, sed quod tu Pater.* Revelatur itaque servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: non quòd in Deo ista discretæ sint cui idem posse, quod felicem & veracem esse: sed quòd à creatura creator pro diversis eiusdem creaturæ affectibus, diversis sentiatur respectibus. Cum sancto enim sanctus, & cum perverso erit perversus ^f. Audi denique vocem filii: *Domine salvum me fac.* Quare? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed *psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Non, inquit, quæro salutem, ut pœnas vitæ, aut in cœlo regnem: sed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus scriptum est ^g: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Servus dicit. *Vadam ad portas inferi.* Mercenarius. *Non vidibo Dominum Deum in terra viventium.* Filius. *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Cui simile est illud ^b: *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profecto quærit quæ sua sunt. Porro qui psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. Laudatur non immeritò in æternum, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

d Ioan. 15. c

e Matt. 26. d

f Psal. 17. d

g Psal. 83. d

b Psal. 117. c

SERMO IV.

De * quærendo Deo, & triplici vinculo, quo coheremus DEO.

Non hic stamus tota die ociosi. Scimus enim & quid quærimus & quis est qui nos conduxit. DEUM quærimus, DEUM expectamus. Non est parva res, nec parvi animi, cum illa quæ singulari pietatis nomine gloriatur, sæpius sese queratur esse frustratam, dicens ^a: *Quæsi vi illum, & non inveni.* Est enim sicut amabilis, ita etiam admirabilis: quia cum non quæritur invenitur, & non invenitur cum quæritur. Si nati essemus ex quo factus est homo super terram, & usque ad centum millia annorum vita nostra extenderetur, non esset tamen condigna quæsitio huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

* al. Detri-
plici cohæ-
rentia, vin-
culorū &c.

a Cant. 5. b

Sermones S. Bernardi.

D d d d

Ecce

¶ Isa. 55. b

¶ Ioan. 14. f

¶ Psal. 104. a
Quinam cen-
sendus querere
DEVM.

Deus ubique,
homo nullibi.
¶ Psal. 72. d

¶ Exod. 3. d

g Psal. 72. b
Tria vincula,
sive triplex
modus quo
adstringimur
DEO.
1. Funibus id
est, Pudore.

2. Clavis id
est, Timore.

Ecce nunc tempus querendi, ecce nunc dies inveniendi præ manibus sunt: *Querite*, inquit *b*, *Dominum dum inveniri potest: invocate eum dum prope est*. Erit tempus quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. *Quæretis me*, inquit *c*, *& non invenietis*. Bonus es Domine animæ querenti te. Si querenti, quanto magis invenienti? Si tam dulcis est memoria, qualis erit præsentia? Si mel & lac dulce est sub lingua, quid erit supra linguam?

Hinc probate vos, Fratres, si in via estis, si non exorbitatis. *Latetur*, inquit *d*, *cor querentium Dominum*. Si gaudetis ad labores, si inoffenso, si indefesso pede curritis viam mandatorum Dei: si quotidie utriusque hominis status recentior est ad proficiendum & perficiendum, quam ad incipiendum, profecto queritis faciem eius semper. Quò ergo abiit dilectus ex dilecto, & quæremus eum? Ubi est? Quid dixi miser? Sed ubi non est? Altior est cælo, inferno profundior, latior terra, mari diffusior. Nullquam est, & ubique est, quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Ipse hic est, sed ego hic non sum. Quàm verisimilius videretur, ut tu hic non esses, & ego hic essem Domine? Sed ego nec hic, nec alibi sum, quia *ad nihilum redactus sum, & nescivi e*. Verè ad nihilum, id est ad peccatum, & nescivi: quia non fui ibi, cum primus parens meus devoravit me morsu amarissimo. Hinc est quod corde contractus & corpore, diffluo in voluptates, in amaritudines, habens innatam culpam, pœnam cognatam, totus fluidus & enervis. Ille autem qui idem ipse est, qui dicit *f*: *Ego sum qui sum*, veraciter est, cui est esse quod est.

Quæ ergo participatio, quæ conventio illius qui non est, ad illum qui est? Quomodo possunt tam diversa conjungi? *Mibi* (ait Sanctus *g*) *adherere DEO bonum est*: immediate ei conjungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Et ne diutius vos protraham, tria sunt vincula quibus ei astringimur: & sic tria, ut sola cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur, ligetur. Et primum accipite funes. Secundum *clavos* ligneos vel ferreos. Tertium *gluten*. Primum astringit fortiter & durè: secundum fortius & durius: tertium suaviter & secure. Fune quodammodò alligatus est redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit. Siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum aut obliviscimur, aut abrumpimus cito.

Est autem qui clavis configitur Domino maiestatis, quem timor DEI ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere.

Darius

Durius tamen & fortius primo imprimitur, quia cum ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. *Tertius* vero glutine ei conglutinatur, id est charitate, qui tam suaviter quam secure ligatus adhærens DEO, unus spiritus est cum eo. Iste est, qui quæcunque undecunque, sive quæ facit, sive quæ ei fiunt, ad suum commodum revocat & retorquet. Beatus huiusmodi homo, & abundantius spiritus influens maiestate, qui suavis & unctus portat omnes, & neminem onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsa gehenna iudicat in re levissima vultum omnipotentis scienter offendere. Hic est fratrum amator & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & pro civitate sancta Hierusalem ^b. *Glutino bonum est*, ait Elaias ^c. Bonum est revera & jucundum, quia alia duo (ne mala dixerim) comparatione istius gravia & importabilia sunt. Sed ille misericors oculus qui novit figmentum nostrum, neminem salvandorum dimittit in primo, sed provehit ad secundum: & nec ibi deserens, de secundo perducit ad tertium. Primò siquidem quia pudet deserere, æstuantes vix sustinemus ad horam, secundò jam timentes & sperantes proficimus, tertio perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus, timore pariter & pudore exclusis, in solius amoris reclinatorio commoramur.

Ita & Christus prius quidem ligatur, secundò crucifigitur, tertio glutinosa aromatum inunctione linitur: non quod opus haberet corpus illud huiusmodi aromatis solidari, quod dissolvi omnino non poterat, aut videre corruptionem: sed qui propter nos Judæorum sputa sustinuit, propter nos quoque fidelium non est dedignatus unguenta. Et attende, quòd vix unius diei spatio in funibus & clavis moratus, cum unctioe victor, qui victurus perenniter, resurrexit. Sic & dilectos in duobus prædictis non diutius patitur immorari, sed ungit eos unctioe misericordiæ suæ, ut crucifixi mundo, & mundus illis, jam resurgant in novitate spiritus, & dicant ^k: *Quis nos separabit à charitate DEI?* Hoc glutine agglutinavit nos sibi ille divinus intuitus à constitutione mundi, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Scimus enim quia qui *natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cælestis servat eum* ^l. Generatio cælestis est æterna prædestinatio, qua DEUS prævidit nos conformes fieri imaginis filii sui. Ex his nullus peccat: id est in peccato perseverat: quia novit Dominus qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile. Et si horrendorum criminum nota David inuritur, etsi Maria Magdalena septem demoniis cumulatur, etsi princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur: non est tamen qui de manu Dei possit eruere. *Quos enim prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit* ^m. Nonne huic adhærere DEO bonum est? Quærite, fratres, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Quærite Dominum,

D d d d z

& vi-

3. Glutine i.
e. Amore.

h 2. Mac. 15. c
i Esa. 41. b

Isque perfectissimus modus quo alligamur Deo.

Triplex ille ligandi modus in Christo adumbratus.

k Rom. 8. g

*l 1. Ioan. 5. d
Quomodo qui natus est ex Deo, non peccet.

m Rom. 8. g

^a Psal. 21. c

^o Psal. 25. b

& vivet anima vestra. *Et anima mea*, inquit, *illi vivet* ⁿ, quæ mundo mortua est. Quæ enim mundo vivit, non illi vivit. Sic ergo quæramus eum, ut & semper quæramus, & cum venerit quærere nos, dicatur de nobis ^o. *Hæc est generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob*. Sicque aperiantur portæ æternales, & introeat Rex gloriæ, & nos cum illo, qui est DEUS benedictus in sæcula, AMEN.

S E R M O V.

Propter verba labiorum tuorum ego custodi vi vias duras, Psal. 16.

^a Ioan. 6. f

*Verba IESU
aliis dulcia
sunt, aliis
dura.*

^b Psal. 94. b

^{* c} Psal. 61. c

^d Isa. 40. a
*Homines impii & terreni,
non nisi carnis
gaudia & bona
captant.*

Qui modo respiciunt vocem consilii, tandem audient vocem iudicii.

LEgimus in Evangelio ^a, quòd prædicante Domino, & sub mysterio ledendi corporis sui, discipulos ad communicandum passionibus suis admonente, dixerint quidam: *Durus est hic sermo*: & ex hoc jam non fuerint cum eo. Interrogati vero discipuli an & ipsi vellent abire: *Domine*, inquit, *ad quem ibimus?* *Verba vitæ æternæ habes*. Ita dico vobis, Fratres, usque hodie quibusdam manifestum est, quoniam verba quæ loquitur Iesus, spiritus & vita sunt; & propterea sequuntur illum: aliis dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem. Sapientia siquidem in plateis clamat, in lata videlicet & spaciola via quæ ducit ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Denique *quadráginta annis*, inquit ^b, *proximus sui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde*. Habes & in alio psalmo ^c. *Semel locutus est Deus*. Semel utique quia semper: una enim, & non interpolata, sed continua & perpetua locutio est.

Revocat autem peccatores ad cor, de cordis errore redarguit, pro eo quod ibi habitat ipse, ibique loquatur, faciens nimirum quod docuit per Prophetam dicentem ^d: *Loquimini ad cor Hierusalem*. Nam Babylon quoniam terra est, nec potest sustinere universos sermones eius, elongatur à corde, & in carne magis ambulat, tanquam mortua à corde: imò tanquam columba seducta non habens cor. Vult enim lætari cum malefecerit, & exultare in rebus pessimis, audiensque vocem Domini huiusmodi gaudia nullatenus approbantem, sed detestantem, sed arguentem, sed condemnantem, fugit & abscondit se in similitudine prævaricatoris. Adæ. Sed heu me, quàm vile operimentum quæris misera anima, quàm inutile quæris operimentum? Folia enim sunt quæ intexis, folia, inquam, quæ nil tibi caloris præbeant, nil habeant soliditatis. Orto deniq; sole arefcent, & ventus urens disperget illa, tu vero nuda & misera remanebis. Tunc ergo nihil oportum quod non reveletur, quoniam veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Non erit jam quo lateas misera. Frustra dices montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos: quoniam nudam & apertam oportebit te stare ante tribunal Christi, ut audias vocem iudicii, quæ vocem consilii contempsisti.

Ecce